

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago

Melanchthon, Philipp

Basileae, 1565

VD16 -M3220

Egregia eruditione & uirtute predito uiro, D. Bernhardo Baumgartnero,
magistro philosophiae, docenti optimas artes in oppido Vlcensi, amico suo
charissimo, Philippus Melanchthon S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

gnificas, quæ te causæ moueât, ut de deserenda Republica cogites. Eset illud quidem his temporibus optadum nobis, ut latere liceret: neq; ego tibi quicquam præcipio. Sed tamē uides mi Hieronyme, in qua quasi statione collocatus sis: quam, nisi Respublica prorsus oppressa esset tyrannide, nolim te deferere. Sed nō uacat nunc multa scribere. Spero te consilia tua ad publicam utilitatem accommodaturum esse.

Hic iuuenis satis literatus est, petit unum ex stipendijs minoribus: qua in re ut eum adiuuus, te etiam atq; etiam oro. Vale.

Egregia eruditione & uirtute prædito uiro, D. Bernhardo Baumgartnero, magistro Philosophiæ, docenti optimas artes in oppido Vlçensi, amico suo charissimo, Philippus Melanchthon

S. D.

Charissime Bernharde: Etsi tantum est miseriarum publicarum, ut bene agi cum ijs existimadum sit, qui ex hac uita euocantur, præsertim cognita doctrina filij Dei: tamen magnum nobis dolorem & luctum attulit mors Christophori Cosmāni Vlçensis, discipuli tui. Nullum in tota Academia ingenium ipsi prætuli, siue scriberet solutam orationē, siue uersus: ita ut ueterum laudatorum scriptorum nitorem

nitorem referret: in Philosophia uera & doctrina
 Christiana ita promoueret, ut docti differētem ma-
 gna cum admiratione audirent. Et has dotes orna-
 bat modestia, & pietate morum eximia. Gratula-
 bamur Reipublicæ & Ecclesiæ, quod tibi ingeniū,
 paulo post doctrinæ etiam salutaris defensio pro-
 pugnatrice commendata sperabatur. Sed o spes ho-
 minum fallax. In hoc cursu optimorum studiorum
 adolescēs febrī oppressus cum decubisset, dies qua-
 tuordecim inter uotum & inuocationem Dei, na-
 turam Deo reddidit: nec enim dubito, cum iam in
 alia longè eruditore & tranquilliore Schola esse,
 ac ipsum audire & uidere Christum, Prophetas &
 Apostolos. Quare etsi ipsi nihil mali accidit: tamē
 Ecclesiæ causa doleo: & propter ipsius matrē, cui
 te, & si quem uoles adhibere alium, quā fieri po-
 test mollissimē mortem filij significare uolumus, et
 adhibere consolationes ueras ex cœlesti doctrina
 sumptas: Deo euocanti nos parendum esse. Et filio
 etsi optanda longior uita fuit: tamen iam fuisse ade-
 ptū ea bona, quæ præcipuè homini expetēda sunt:
 & propter quæ ætas grandior optanda est, ueram
 doctrinam cœlestem. Hanc iam didicerat, norat
 Deum, & filium eius: et sciebat uerè inuocantes spi-
 ritu sancto renasci ad uitam æternam. Ardebat eius
 mens fiducia filij Dei, quem uerè inuocabat: & sæ-
 pe alios docebat. Hic uitæ cursus uerè dignus est

q 3 laude:

laude: & prius discessit, quàm implicitus est negocijs, ut nos, in quibus non possunt nõ accidere scandala. De morbo, audio similem febriam fuisse, qualis anno superiore Lutheri filiam extinxit. Tantis in eo pudor fuit, tanta me reuerentia, ut mihi indicare noluerit, se ægotare. Sed tamen medicos consuluit, qui (ut audio) statim iudicarunt lethale malum esse. Noui hoc genus febriam. nam biennio aliquot sic mortui sunt: his ardet pectus, & arefcunt & inflammantur fauces & lingua. Ceterum nec dolor magnus sentitur, nec mentis error accidit. Lutheri filia, ut Christophorus, placidissimè de Deo & immortalitate ac Christi beneficijs disseruerat, penè usq; ad extremam spirationem. Talis cum fuerit Christophori morbus, temporis aut fati deploremus casum: nec queramus alias causas. Plena sunt humana miseriarum omnia, & in Ecclesia nouimus causas ueras: Philosophia ignorat. Deus enim proponit, & placidè iubet ferre ærumnas: et pollicetur se nobis adfuturum esse, idq; in tribulatione, inquit. Bene uale, charissime Bernharde. Pri die Nicolai, Anno Domini 1543.

Adolescenti nobili & optimè indolis, Ioanni Rittefel, Philippus Melancthon S. D.

Mirror te, mi Ioannes, nihil literarum ad me disse